

1.
2.
3.
4.
5.
6.



1748.

1. Rechenberg, Carolus Otto, Collegii juris Dei studio:
Programma, quo ad memoriam Boniani nuntio
... celebrantiam invitatur
2. Bauer, Fr. Godefridus, fac. jur. procancellarius:
Programma, quo summas in utroque jure honores
... Georgio Henrico Bose ... indicit.
3. Bauer, Fr. Godefridus, fac. jur. procancellarius:
Programma, quo summas in utroque jure honores
... Samueli Gottlieb Frolich ... tribuendos
indicit.
4. Baierus, Fr. Godefridus: De personis communis
sexuum manus capere lites
5. Francke, Henricus Gottlieb: De nexu foederum perpet.
hujus unionis inter Augustanam domum Austriacam
Poloniaeque regnum.
6. Francke, Henricus Gottlieb: " De jure vicariorum
imperii de feudis imperio apertis disponendi "
simulque et orationem auspicialem invitatur.

1748

7. Hommel, Ferdinand August, fac-jur procurator
rias: Programma, quo sollemnia inauguralia He-
ria Gollub Francke indicit.
8. Hommelius, Ferdinandus Augustus: De probat. test. ducen-
mentorum signis
9. Hommelius, Ferdinandus Augustus: De potestate
jurare notentium
10. Hommelius, Ferdin. Augustus: De processu
possessorio summarissimo. 2 exempl.
11. Hommelius, Carolus Ferdinandus: De Apulline jura-
perito
12. Helius, Johann Ludov.: De sportulis et sumptibus
in diversis judiciis faciendis et de executoribus
Ceterum, ad lit. II lib III Cod. hincque ad ora-
tionem auspicialium invitat.

1748

13. Mascovius, Gottfriedus : 2. Quaestiones selectae juris
naturalis et gentium inter Grotium et Pufendorfium
controversae² simulque ad orationem adhibentem in-
vitat.
14. Mencklen, Christophorus Ludovicus : 3. Commentatio
legis 18 Cod. de testibus junct. novelle 90 Cap. 2.³
simulque ad orationem solemnem... invitata.
15. Menzies, Fridericus, fac. phil. Neocanus : De
re publica litteraria³. Programma, quod est
orationem in memoriam Georgii Ridelii invitata
16. Mylius, Gustavus Haardus, fac. jur. procurator
Carius : Programma, quod solemniter inaugurata
Carolus Morus Pockbuschii in dicit.
17. Mylius, Gustavus Haardus : Actuariorum peccatus
in Ord. Crim. Cap. Art. 149 de inspectione cadaveris
et ante sepulturam.

1748.

18. Richterius, Fr. Tobias: De pacto evictionis non
praestandae inutili.
19. Richterius, Fr. Tobias: De testimonio mulierum
in ecclesiis jure civili invalido.
20. Richterius, Fr. Tobias: Selectiora juris principia
7.
21. Richterius, Fr. Tobias: Selectiora juris principia
22. Richterius, Fr. Tobias: Selectiora juris principia
- 10 23. Rivinius, Fr. Tobias: Selectiora juris principia
24. Rivinius, Johannes Florens: De fidejussore infirmo
- 11 25. Rivinius, Johannes Florens: De fine litium et fi
niantibus.
- 12 26. Romanus, Franc. Gust; fac. jur. procuratorius:
Programma, quo solemnitas inauguralis Insti. Co. Wier
bauer . . . indicit.
27. Sammet, Wannes Gospricks: De legatio puenae non

1748.

8. Sammet, Franc. Gaspard: Inuestitio juris civilis
ad Domitium Ulpianum, Cap. LXIX. pro socio.
9. Siegel, Joh. Gottlieb: De dolo translationem domicilii
impediente.
10. Siegel, Joh. Gottlieb: De divisione feudi successio-
nem simultaneae investitorum non restringente.
11. Wierenhauer, Trist. Carolus: De jure majestatis sacro-
rum dirigendorum.
12. Wierenhauer, Trist. Car: De jure conventionali
sacrorum dirigendorum.
13. Zoller, Fridricus Gottlieb: De dispositione patris
in inter liberos, quae post obitum patris ab
uno ex filiis profertur, valida.
14. Zoller, Fridricus Gottlieb: De moderamine in
culpata tubilae adulteri competente.









1748, 12.
AD TIT. II. LIB. III. COD. 27 14.

DE

SPORTVLIS ET SVMTIBVS

IN DIVERSIS IVDICIIS FACIENDIS,
ET DE EXECVTORIBVS LITIVM,
PAVCIS MEDITATVR,

IISQVE

AD

ORATIONEM SOLENNEM,

QVA MVNERIS

PROFESSIONIS IVRIS EXTRAORDINARIAE

CLEMENTISSIME DEMANDATI

AVSPICIUM FIET,

DIE XXV. SEPTEMBR. MDCCXLVIII.

HORA NONA

IN AVDITORIO ICTORVM PETRINO

BENIGNE AVDIENDAM,

DOMINVM RECTOREM MAGNIFICVM ACADEMIAE,

ILLVSTRISSIMOS DOMINOS COMITES,

HONORIFICENTISSIMOS

DOMINOS PROFESSORES, DOCTORES, MAGISTROS,

OMNEMQVE STVDIOSAE IVVENTVTIS CORONAM

GENEROSISSIMAM, NOBILISSIMAM ORNATISSIMAM,

EO QVO DEBET AC DECET HONORIS,

REVERENTIAE ET OBSERVANTIAE CVLTV

PEROFFICIOSE INVITAT, ROGAT

IOHANNES ANDREAS KELIVS,

L. V. DOCT.

27

AD THE. II. LIB. III. COD.

DE

SPORTVILIS ET SVMTIBVS

IN DIVERSIS IUDICIS FACIENDIS
ET DE EXECVTORIBVS
TRACIS MEDITATVS

ORATIONEM SOLEMNEM

IN OCCASIONE IURIS EXTRAORDINARIAE

IN CAUSA
DIE XXV. SEPTEBRIS MDCCXVIII.

HORA NONA
IN AUDITORIIS ROTORVM BETHANO

DOMINVM RECTORVM MAGNIFICVM ACADEMIAE
ALMA MATRIS MONASTII COMITIS

DOMINVM RECTORVM ROTORVM
OMNIVMQUE STUDIOSIS IURIVS
BO QVO DEBET AC DEBET HONORIS

REVERENDISSIMO ET OBEDIENTISSIMO
RECTORI BETHANO
JOHANNES ANDREAS KELLS

I. V. DOCT.





Debite laborantem mercenarium mercede sua dignum nemo, nisi iniustior, iniquior eoque infanior negabit. Idem de debite laborantibus in iure, iudiciis, magistratibus, aliisque officiis muneribusque publicis recte affirmaveris. Vnde autem condigna illa merces sit suppeditanda, petenda, et exsoluenda, percipiendae, alia est quaestio, disquisitio, ambigua disceptatio et varians sententia. Non enim sine omni veri, rectique ac iusti specie obtenditur, ex illo fundo salarium vel mercedem esse constituendam, petendam et soluendam, quem tanquam medium ciues subditivae in primordio civitatis vel Reipublicae conditae ad finem Reipublicae vel Civitatis obtinendum constituerint, cuique fini consequendo tributa solvant, soluta in aerarium publicum conferant et reponant; Iam vero noto notius esse, finem omnium omnino Civitatum Rerumque publicarum ab initio fuisse, etiamque

IV

numque esse, ut salus tum publica tum priuata, id est, singulorum ciuium, obrineatur, defendatur, conseruetur et augetur; salutem autem ciuitatis consistere in tutela vel defensione ab omni laesione, adeoque in securitate et tranquillitate tam externa quam interna, hanc autem cumprimis in iustitiae administratione promta et parata, hincque in status publici et priuati intemerata Conseruatione, quae praecipue per fidelem solertemque Magistratum et quoruncunque aliorum munerum publicorum functionem obtineatur; Ob dictum namque illum finem subditos seu ciues libertati suae renunciaisse, seque et sua Imperio ciuili submississe, caputque ciuitatis constituisse; Ad illum quoque finem primarium ac summum obrinendum tributorum solutionem praestantissimum esse medium; quae tributa propterea in aerarium ciuitatis publicum conferri, in eo asseruari, indeque ad illum finem consequendum rursus depromi, distribui, dictisque officialibus salarium vel mercedem promeritam et condignam promte ac mature solui tribuique debere, ut eo alacriores et prouiores promtioresque reddantur ad finem dictum efficiendum, promouendum et confirmandum. Reliquam mitto argumentationem huius commatis, speciatimque illam non addo disceptationem sententiamque, qua ciues quoscunque a sportularum iudicialium praestatione vel solutione immunes atque exemptos praedicant et pronunciant nonnulli.

Lippis interim tonsoribusque noto notius est, sportularum nomine venire atque intelligi illas pecuniae praestationes, quae pendi soluique debent eis, qui iustitiae iudicis sunt praefecti, horumque adiutoribus subalternis et ministris, pro directione litium et processum fori, pro expediendis scriptis et actibus, tum iudicialibus quum extra-

iudicia-

74.

V

iudicialibus, legalibus tamen, tam extra, quam intra iudicium obuenientibus et frequentibus; ex quibus sportulis in plurimis terris locisque salarium seu merces personis illis dictis constituitur, penditurque eum in finem eumque sane vere modum, vt inde cum suis commode viuere, munereque suo fideliter ac diligenter fungi possent, si vellent, nec opus haberent, alia conquirere media parum honesta et licita, quibus non ad vitam sustentandam commode, sed ad opes cumulandas sat impudenter et audacter ac saepe violenter vtuntur.

Non moror autem nec sollicito sportularum etymologiam, nec illarum varias species, Romanorum antiquorum aetate obuias et frequentatas, cum praesens instituti mei ratio id haud permittat, et Guil. Budaeus in Commentario in Pand. ad L. si mulier, 5. ff. de donat. inter vir. et vxor. Andr. Alciatus in Comment. in Cod. lib. 3. disp. 17. et Cuiacius in Notis ad Cod. speciatim ad tit. 2. Lib. III. Cod. aliique de his possint consuli et rogari, si cui forte volupe fuerit, eas nosse, nec ignorare, quae fuerint sportulae clientum, ludorum, inaugurationum, honorum, dedicationum, nuptiarum, introitus in collegium publicum, in sacerdotium, pluresque aliae.

Vix quoque vtilitatis quidquam habere pene dixerim, disserere pluribus de antiquitate praestandarum soluendarumue dictarum illarum sportularum, huicque antiquitati ostendendae vel probandae sufficere, ego quidem crediderim, excitare et inducere saltem quosdam titulos, textus et Leges Iuris Ciuilis Romani, in quibus expressis verbis sportularum, suntuum et expensarum, tam iudicialium quam extraiudicialium solutio earumque modus praescribitur et



VI

fancitur. Ad hanc classẽ merito refero Titulum 2. Lib. III. Cod. de sportulis et sumtibus in diuersis iudiciis faciendis, et de executoribus litium. Tit. 64. Lib. XII. Cod. Publicae laetitiae vel consulum nunciatores, vel insinuatorum constitutionum et aliarum sacrarum vel iudicialium literarum, ex descriptione vel ab inuitis ne quid accipiant immodicum. Nou. 124. cap. 3. in qua Iustinianus Imp. sportularum abusum, nimietatem et immodicam exactiõnem, iam sua aetate frequentem, seuerè damnat. Addatur Nou. 17. c. 3. et Nou. 86. c. 9. Prolixior esse nolo de hac antiquitate.

Personae autem, citatis legibus, titulisque recensitae, quibus sportulae solui debebant, iustitiae et iurisdictioni eiusque executioni praeerant, ac ferre cum hodiernis nostris iudicibus horumque adiutoribus conueniebant. Morem quoque illum Romanum cum Iure Romano Germanos aliasque gentes, in quarum fora ius illud pedetentim et per spiramenta temporum penetrauit, recepisse suumque fecisse, neminem negaturum vel saltem dubitaturum existimauerim.

Interim ex inductis affirmaueris recte, diuisionem officii iudicis in nobile et ignobile seu mercenarium non, nisi cum glossa vel commentario, sensum aliquem habere, nec ex verborum significato recte capi et intelligi posse, cum vtrumque illud officium aequè mercenarium fuerit apud Romanos, ac quidem apud nos alibique illud vtrumque est, cum pro vtroque obeundo et obtinendo sportulae sint soluendae, nec vtrumque gratis, nisi pauperibus iuratis praestetur, licet fat nouerim, quid per dictam illam diuisionem proprie indicetur et intelligatur, quidque sibi velit clausula illa salutaris, herba illa betonica, in sine libellorum addi solita,
qua

qua officium iudicis nobile nobilissimumque vulgo implo-
ratur.

His vero huiuscemodique minutiis diutius et longius
inmorari vix operae qualisqualis pretium, nec meum iam
esse officium arbitror, sed longe maiorem vtilitatem et praec-
stantiam habere existimo disquisitionem et responsionem
quaestionum duarum, quarum prima est: an sportularum
sanctio et exactio sit iusta? Altera autem est: An prudens
et consultata illa sanctio eiusque praxis sit praedicanda et pro-
nuncianda, adeoque vbiuis terrarum et locorum prae aliis
modis constituendi salaria et mercedes personis iustitiae ad-
ministracione occupatis commendanda, obseruanda et reti-
nenda?

Primam quaestionem argumentatione, principiis sanae
rectaeque rationis saltem superstructa, affirmare nullus dubi-
to, adeoque non prouoco ad ius potestatemque legislatio-
riam, ciuitatis Reclori summo propriam, eique soli asserendam
et vindicandam, qua leges quascunque pro conditione et
vtilitate Reipublicae sancire executionique mandare libere
potest; nec sollicito Leges Romanorum ciuiles huius com-
matis; nec demum induco ordinationes imperiales et pro-
uinciales taxarum, quas vocant, de quantitate sportularum
soluendarum definita et determinata, quales in plurimis ter-
ris, prouinciis ac locis extant publica praescriptae et cor-
roboratae auctoritate. His enim assertionem meam confe-
ctam comprobata quilibet concesserit, perpensitans, quod
id, quod Principi vel Regenti ciuitatis pro vtilitate publica
et priuata placuerit, statuerit iusseritque, legis, adeoque
iusti habere auctoritatem, vigorem, vimque ciues vel sub-
ditos obligandi.

Sed

VIII

Sed ex principiis rectae sanaeque rationis argumentari mihi sumsi, proinde sequenti modo procedendum existimo. Omnis opera, labor, munus vel officium non gratuitum est rependendum, retribuendum, remunerandum et recompensandum. Ad hunc censum recte refertur iustitiae administratio tributioque, recte itaque haec est rependenda, retribuenda, remuneranda, et recompensanda. Porro: Cuiusque operae, labori, muneri et officio, omnibus et singulis, diuisim, separatim, singulatim et in indiuiduo praestando, non tamen gratuito, sed rependendo, retribuendo, remunerando, et recompensando non sufficit contributio in communi facta, illud omnes ac singuli diuisim, separatim, singulatim et in indiuiduo retribuere, rependere, remunerare et recompensare debent. Iam vero Iustitiae administratio et tributio omnibus ac singulis diuisim, separatim, singulatim et in indiuiduo est praestanda, recte igitur eam omnes et singuli diuisim, separatim, singulatim et in indiuiduo retribuere et compensare debent. Cura, sollicitudo et labor, quem omnes ac singuli, ubique locorum separatim, diuisim, speciatim, singulatimque seu in indiuiduo sibi expetunt impetrantque, quique eis est necessarius et utilis, adeoque eorum commoda semper promouet, conseruat et auget, ab omnibus et singulis diuisim, singulatim, speciatim, separatim et in indiuiduo necessario quoque est rependendus, retribuendus et compensandus, nec sufficit illi labori compensando tributorum illatio in communi facta. Cura, sollicitudo ac labor, qui et belli et pacis tempore expetitur et necessitat, omnes alias curas, sollicitudines ac labores multitudinem sua longe lateque semper superat; hinc specificam ac singularem retributionem et compensationem in indiuiduo quouis tempore et vbiuis locorum ex aequo, iusto et merito postulat. Nullum sane est ius Maestaticum, quod

quod Principis vel ciuitatis Rectoris curam, sollicitudinem et laborem quouis, tum belli, quum pacis tempore, magis occupat et necessitat, sibi que expetunt ciues omnes ac singuli in indiuiduo, quam iustitiae administratio et tributio. Hac enim quouis tempore locoque indigent omnes ac singuli ciues, subditi; haec promouet, auget et conseruat tranquillitatem, salutem et felicitatem praecipue internam, externam illam ab exteris oriundam et expectandam longe lateque superantem; deficiente namque illa, haec ne vix quidem cum Reipublicae statu seu consistentia obtineatur, conseruaturque; omne etenim regnum dissidens aduersus semetipsum, deficiente iustitiae administratione et tributio-
ne vastatur, et domus aduersus sese dissidens, cadit ruitque altera supra alteram, teste experientia historica, alia vt ta-
ceam testimonia. Iuris itaque illius Maiestatici vsu et exercitio continuo ac intemerato opus est vbiuis locorum Reipublicae, omnibus ac singulis ciuibus subditisue, omnique omnino tempore; hinc recte ac vere assero, nullum ius Maiestaticum magis occupare et fatigare Principem ciuitatis vel Reipublicae, quam iusti et aequi dictionem, administrationem et executionem. Huic autem labori sustinendo Princeps solus, ob immensam molem multitudinemque negotiorum et actuum tam extraiudicialium, quam iudicialium, non sufficit, hinc iuste et merito in auxilium vocat et constituit multa iudicia, multosque iudices horumque multos adiutores vbiuis ferme locorum, eisque iure meritoque prospicit de mercede vel salario pro laborum illorum qualitate et conditione condigno. Quumque his sumtibus necessario impendendis non sufficiat generalis seu in communi facta tributorum illatio seu collectandi modus, vix saepius aliis maiestaticis iuribus exercendis sufficiens, omnes tamen ac singuli ciues sub-

B

ditiue

X

dicinae iustitiae administrationem et tributionem a Principe vel eius vicem sustentibus sibi expetant, implorent et expostulent, omnesque ac singuli commoda inde reportare diuisim, separatim, singulatum vel in indiuiduo efflagitent; iustum quoque et aequum est, vt omnes ac singuli separatim, diuisim, singulatum et in indiuiduo, toties, quoties opus habent illa opera, sumtus administrandae iustitiae necessarios ferant, suppeditent i. e. sportulas soluant pro quibuscunque et singulis iustitiae actibus, exceptis solis pauperibus iuratis iisque, qui ab illis soluendis per priuam legem vel priuilegium speciale, siue reale siue personale illud sit, sunt immunes. Hinc et sportularum sanctiones omnes et singulas omnibus ferme terris locisque existentes, hinc et sportularum solutiones ab omnibus et singulis iustitiae opem et commoda efflagitantibus ferendas iustas et aequas omnino praedicabis et pronuntiabis.

Ab illis sumtibus et expensis seu sportulis differunt quidem salaria, honoraria, deferuita vulgo in foris vocari solita, mercedesque aduocatorum seu patronorum causarum, procuratorum, consulentium aliorumque mercenariorum operariorum: sed iustum et aequum est, vt et illae mercedes, deferuita, aliaeque huius indolis per taxarum ordinationes, durch die Tax-Ordnungen, definiantur, moderentur et determinatae praescribantur, ne cuius ex immoderata effrenataque libidine auaritiaque stimulo et aestu ea exigendi licentia sit, qua licentia immodesta, impudica et immoderata longe plus sumtuuum fere semper impenditur, quam quidem sportularum dictarum nomine solui debet; hinc illae querimoniae, illae lacrymae occasione iustitiae impertitae se produnt; In hoc sensu vere dictum tritum illud: plus prodest iniustitia, quam iustitia,

tia. Plurimos enim iamiam dictorum hominum recte vere-
 que harpyias aeris litigantium clientum dixeris, salutem et
 commodum eorum, qui se suaque istis bona fide commit-
 tunt, non quaerentes, sed horum pecunias inuestigantes et
 explorantes, suaque serinia loculosque argento aurove illo-
 rum implere quauis arte, astuta, callidaque suafione et frau-
 dulenta inductione satagentes; quod profanum nociuumque
 et abominandum vulgus merito oderis, arceas, coerceas et
 expellas. His incommodis, iniquitatibus et malis praeca-
 uendis prudentissime, sapientissime et iustissime per ordi-
 nationes taxarum, durch die Tax-Ordnungen, in quibus-
 dam terris locisque occurritur quidem, et obex ponitur,
 quod speciatim factum est in Saxoniae Electoralis Neuen
 Tax-Ordnung, Ordinationi Process. El. Sax. Rec. sub Dato
 Dresden, den 10. Ianuar. 1724. annexa. An vero illarum
 ordinationum sancta, religiosaque semper et vbiuis locorum
 sit obseruantia, aliorum multorum, sportularum solutione
 immodica sat diu agitatorum et vexatorum, experientiae et
 responsioni committo, nullamque sanctionem legemue
 poenalem, seuerissimam licet, cuiusque fraudi, astu-
 tiae maleuolaeque hominum indoli semper et vbiue reprimen-
 dae, compescendae et radicitus extirpandae exterminan-
 daeque sufficere arbitror. Retineatur interim vsus san-
 ctionis cuiuscunque bono consilio et sine promulgatae, si
 non in totum et semper tolli possit eius abusus fraudulentus,
 subdolosus, et furtiuus, eantque eae leges, quo poterunt; re-
 liqua committantur Deo optimo maximo rerum humanarum
 sapientissimo semper arbitro.

Alteram quaestionem icidem affirmare nullus ambigo.
 Quod enim ciues subditosue morigeros, pacificos, mode-
 ratos, moderatos et pacatos reddit, id saluti ciuitatis vel Rei-
 publicae

XII

publicae prodesse, Principique eius sancire et statuere licere recte dixeris. Solutionem autem sportularum saepius supra dictam in hunc censum venire, facili ostendi potest negotio. Tanta enim est prauitas, iniquitas et malitia plurimorum hominum, tanta corruptio mentis et voluntatis, tantus est amor et ardor desideriumque, tanta est dies noctesque meditatio nocendi laedendique proximum, tantum quoque est studium et consilium calumniandi, cauillandi, rixandi, litesque calumniose inténdandi, tanta inuidia et indignatio contra conciuem vel tantillum possidentem et opulentum tantum dictum, vt, nisi omnia media illis nequitias compescendis, reprimendis et praecauendis praeuertantur, nemo vno ferme die suis in rebus, patrimonio et domicilio tutus sit futurus, eisque secure vti deque iis libere disponere possit. Quum vero per sportularum, saepius maiorum et maximarum, solutionem earumque, casu saepius euéniente, restitutionem victori praestandam, vix ac ne vix quidem deterreantur et abhorreant maligni illi a litibus temere et calumniose mouendis, intentandis; quid quaeso futurum euenturumque dixeris, si ab eis soluendis et restituendis se immunes scituri essent isti detestabiles et pessimae farinae homines vtriusque sexus. Sane fore credo, vt tam pauperes et mediae fortunae, quam locupletes homines, rixare et in foris litigando versari nunquam desituri sint, infinitaeque et innumerabiles futurae sint lites et discordiae, pestes iamiam nunc ac strages ruinaeque ciuium multorum, plurimorumque. Quot etiam laboribus occupatos, oneratos et obrutos, quot vexationibus excruciatos, quot denique iniquitatibus remedendis expositos credideris iustitiae seu iurisdictioni praefectos horumque adiutores executoresue? Recte itaque affirmasse me puto hanc quaestionem alteram, adeoque prudenter ac sapienter retinendam esse sportularum

ularum

tularum dictarum solutionem iterum atque iterum arbitror.

Sed iam nunc alia insurgit quaestio, an sportularum soluendarum solutarumue dispensatio conscientiae, fidei et dispensationi praefectorum iustitiae seu iurisdictionis eorumque adiutoribus subalternis ministerialibus prudenter relinquatur? Rationes dubitandi et decidendi recte petuntur ex diutissimis, maioribus, constantibus et fere vniuersalibus querimoniis de diutissime et longissime saepe saepius protracta, retardata et lentissima iustitiae administratione tributioneque vbique fere locorum, per seculum et ultra quandoque durante in litibus de causis ciuilibus in foro intentatis, agitatissue, praepremis autem, si ex locato conducto iurisdictione exerceatur. Plurimi namque iudices iustitiae sacerdotes veri non sunt, hinc illius administrationem curae cordique vere non habent, multoque minus breuiem illam non amant, non promouent, sed, quantum fieri potest quoquo praetextu, diutissime protrahunt, nec sportularum taxam praescriptam ordinatamque curant, attendunt, sed pro lubitu suo eas saepe saepius mirum atque imensum in modum praescribunt et exigunt, exque iis se locupletare satagunt conscii, ex breui causarum illarum ventilatione iudiciali exiguas sportulas redundare, colligi et accumulari. Hinc illae lacrymae querulationes frequentissimae et diutissimae, quarum causam omnino recte dixeris illos iudices auaros, hincque improbos, iniquos, iniustos et corruptos, iustitiam, quantum in ipsis est, sufflamantes, retardantes et protrahentes, irascentesque causarum patronis quandoque probis, cordatioribus rebusque gerendis habilibus, qui occasionem et praetextatam saltem rationem plures recipiendi sportulas, iudicibus illis vere

XIV

sportulariis et venalibus praescindunt, et causas breuiter ac sine ambagibus, sineque terminorum multorum non necessariorum nec legalium anfractibus decidendi modum viamque legalem ostendunt, vrgent instanterque insistunt.

Ex adductis facile liquet concluditurque, memoratam saepius sportularum solutionem prudenter quidem esse retinendam, vrgendam et exigendam, non tamen potestatem de illis disponendi Iustitiae praefectis horumque adiutoribus ministerialibus relinquendam, imo nec eos illarum participes faciendos, sed rectius forsitan inferendas, colligendas, reponendas et asseruandas esse sportulas in arca, quam dicunt, cassam sportulariam, solius Principis dispositioni et dispensationi sancte relinquendam, constituendaque salaria omnibus ac singulis personis iurisdictionalibus, ex quibus commode et sufficienter viuere, seseque cum suis sustentare, suoque officio et munere debita fide, solertia et industria fungi possint, adeoque eorum non interfit litium et sportularum multitudo, iustitiaeque ac iurisdictionis protractio et lenta executio.

Aliud sane magis praesentaneum, expeditius, tutius, promptius et praestantius medium non suppetere crediderim succurrendi afflictis haecenus et languenti iustitiae, remediandi fatisque faciendi querimoniis de iustitia sportularia eaque inde ferme venali vbique fere locorum, praecipue autem ibi, vbi ex locato conducto iustitia iurisdictione exercetur, da die Iustitz mit verpachtet wird.

Medium et institutum hocce non esse mere theoreticum, imaginarium et vmbaticum, sed vere practicum, consulumque, et aliis omnibus praefendum et praecoptandum,

XV
14.
dum, nouissimo eoque celebratissimo exemplo de emendata
re iustitiana in vicinia docemur; instituti mei ratio autem
iam quidem non fert ei recensendo pluribus immorari.

Subsistendum mihi hic est, indicandumque hic ad-
huc semel vel binis verbis tantummodo demandatum mi-
hi munus Professionis Iuris Extraordinariae Publicae a
Serenissimo ac Potentissimo Rege Poloniae et Electore Sa-
xoniae, FRIDERICO AVGVSTO,
Principe ac Domino nostro ac meo longe Clementissimo,
Indulgentissimo, in celebratissima, perantiqua, florentissima
et optime constituta hac Lipsiensi Academia, illudque so-
lenni oratione publica in Auditorio Ictorum Petrino die
25. Sept. MDCCXLVIII. auspiciandum; ad quam bene-
uole audiendam hoc loco repetere liceat mihi, rogo, obse-
ro, quod rubrum huius scriptionis inuitatoriae decenter
significauit. Scrib. Lipsiae, Dominica XV. post Trinit.
MDCCXLVIII.

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIANA.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

REGIAR
THE OFFICIAL REGISTER




ULB Halle 3
004 195 175


f

sl.







1748, 12.
AD TIT. II. LIB. III. COD. 27

DE
SPORTVLIS ET SVMTIBVS
IN DIVERSIS IVDICIIS FACIENDIS,
ET DE EXECVTORIBVS LITIVM,
PAVCIS MEDITATVR,

IISQVE
AD
ORATIONEM SOLENNEM,
QVA MVNERIS
PROFESSIONIS IVRIS EXTRAORDINARIAE
CLEMENTISSIME DEMANDATI

AVSPICIUM FIET,
DIE XXV. SEPTEMBR. MDCCLVIII.
HORA NONA

IN AVDITORIO ICTORVM PETRINO
BENIGNE AVDIENDAM,
DOMINVM RECTOREM MAGNIFICVM ACADEMIAE,
ILLVSTRISSIMOS DOMINOS COMITES,
HONORIFICENTISSIMOS

DOMINOS PROFESSORES, DOCTORES, MAGISTROS,
OMNEMQVE STUDIOSAE IVENTVTIS CORONAM
GENEROSISSIMAM, NOBILISSIMAM ORNATISSIMAM,
EO QVO DEBET AC DECET HONORIS,
REVERENTIAE ET OBSERVANTIAE CVLTV
PEROFFICIOSE INVITAT, ROGAT

IOHANNES ANDREAS KELIVS,
L. V. DOCT.